

« Ad 2, episcopum debere esse contentum de moderato ac modesto equitatu, ac famulatu.

« Ad 3, per episcopum celeriter visitationem esse absolvendam, et ad actus extraneos non esse divertendum.

« Ad 4, obtinentes beneficia seu capellanias in titulum teneri pro rata contribuere.

« Ad 5, confraternitates visitatas teneri ad eandem contributionem pro rata.

« Ad 6, non esse administranda victualia, nisi concurrat consuetudo legitime præscripta. » Lib. XIX, Dec. pag. 438.

(78. Qualis autem et quanta procuratio debeatur, et a quibus episcopo visitanti, seu aliis visitatoribus, vide verb. PROCURATIO per tot., ubi multa ad rem.

(79. Quibus adde quod a procuratore respectu visitationis Apostolicæ nemo est exemptus, licet in specie contribuere teneatur is, qui est in culpa. Sac. congr. Episcop., in Ariminen. 26 Julii 1576, in Spalatren. 3 Julii 1601. Unde tenetur etiam episcopus pro sua rata: Sacra cong. Episcop., in Ferentina 8 Novemb. 1581. Item commendatarii etiam cardinales. Ead. sac. congr. Episcop., in Januen. 21 August. 1582. Quamvis non esset expressum in brevi, eadem sacra congreg. Episcop., in Licien. 13 Augusti 1627. Item etiam Regulares possidentes bona stabilia in communi, *ibidem*. Maxime ratione parochiarum unitarum; eadem sacra cong. Episcop., in Ariminen. 11 Martii 1579, et in Placentina 16 Maii ejusdem anni, et in Cremonen. 1 Martii 1580. Nisi haberent privilegium in specie pro hac causa, *ibidem*. Sic apud Nicol. in *Floscul.*, verb. *Visitatio Apostolica*, n. 23.

(80. Si visitator Apostolicus sit episcopus, debet habere decem scuta monete pro qualibet die. Sac. cong. Episcop., in Licien. 13 Augusti 1627, apud eundem, *loc. cit.*, n. 23.

(81. Antequam inchoetur visitatio, proponuntur edicta, in quibus episcopus debet denunciare diem suum iis, quos visitare intendit. Non enim visitandos imparatos invadere debet, nisi justa aliqua causa aliud prudenter suadeat; tum quia id maxime expedit, ut sic parochus, seu rector ecclesiæ visitandæ possit populo denunciare diem adventus episcopi visitatoris, ad hoc ut se præparent ad illum recipiendum. Joannes Andræus, in cap. *Cum sit Romana*, De Simón.; Fuscus, *De visitat.*, lib. I, cap. 4, n. 4; Barbosa, lib. I *Jur. eccles. univers.*, cap. 14, n. 36; Ventriglia, *Prax.* tom. II, adnotat. 24, § 1, n. 28, et alii passim.

(82. Non licet tamen episcopo visitationem aggredienti proponere edicta, quibus subditi jubeantur in virtute sanctæ obedientiæ crimina delere, multoque minus proposita pœna excommunicationis, sed solum ad id enixe hortari. Sic resolutum fuisse a sacra congregatione refert ex aliis Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, allegat. 75, n. 9, et supra concil. *Tridentin.*, sess. VI, *De reform.*, cap. 4, tom. X, ubi ex Aldano testatur id decisum fuisse sub die 31 Apr. 1593 et in *Summa*, verb. *Visitatio*, n. 4.

(83. Tempus incipiendæ visitationis non est a jure determinatum; unde relinquitur arbitrio episcopi, qui potest eligere tempus loco magis proportionatum. Fusc., *De visitat.*, lib. I, cap. 2, n. 13; Ventriglia, *loc. cit.*, cap. 23, et alii.

(84. An autem visitatio generalis diœcesis præcedere debeat convocationem synodi, vel econtra? Vide verb. SYNODUS, n. 15 et 16.

(85. A qua ecclesia sit inchoanda visitatio, remittitur arbitrio episcopi; licet enim visitatio, ut plurimum, soleat inchoari ab ecclesia cathedrali, id tamen non est de præcepto, cum possit episcopus inchoare ab ecclesia, quæ sibi magis placuerit, reservatis juribus, et sine præjudicio aliarum ecclesiarum. Sic sac. congr. Rit., in *Egitanien.* 10 Junii 1602, in respons. ad 2 dub. ut ex aliis refert Ventriglia, *loc. cit.*, n. 26; Barbosa, in *Summa*, verb. *Visitatio*, n. 1; Monacell., tom. I, tit. 5, formul. 2, n. 26.

(86. Pro visitatione faciendâ eligi solent ab episcopo duo convisitatores satis experti, et in rebus ecclesiasticis versati, cap. *In singulis*, de statu monachor., et Extravagant. *Debent*, De offic. Ordinarii inter commun.

(87. Non est tamen necessaria talis electio, seu assumptio convisitorum seu adjunctorum, sed tantum voluntaria, cum possit episcopus sine illis visitare etiam capitula cathedralium, et aliarum majorum ecclesiarum, ut deciditur in conc. *Trident.* sess. VI, *De reformat.*, cap. 4, ibi: « Per se ipsos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis; » et sic tenet Communis doctorum.

(88. Unde visitare potest episcopus sine adjunctis corpus ecclesiæ cathedralis, sacramenta, reliquias, vestes, ornamenta, ceteraque ad cultum divinum destinata. Item capellas, capellanias, dotationes, anniversariorum institutiones, memorias defunctorum, pia opera, etres, seu bona fabricæ, vel Ecclesiæ. Sic sac. congr. Conc., apud Barbosam, cit. alleg. 73, n. 15, et in *Summa Apostolic. dec.*, verb. *Visitare quando, et quæ episcopus valeat*, n. 17; Armendar., lib. I, tit. 6, *De visitat.*, n. 123. Nec potest capitulum cathedralis se eximere ab hac visitatione prætextu exemptionis et præscriptionis immemorabilis. Sac. congr. Conc., in *Hispalen. Jurisdictionis* 4 Junii 1699, et 4 Maii 1690, apud Monacell., tom. I, tit. 6, formul. 2, n. 27.

(89. Si episcopus visitare velit ex decreto sess. VI, cap. 4, *De reformat.*, debet id personaliter agere; secus si ex aliis concilii decretis, cum id per suum vicarium generalem aut visitatorem facere possit, si modo legitime impeditus fuerit, ut permissum est sess. XXIV, cap. 3, *De reformat.*, etiamsi de visitandis exemptis ageretur, cum dict. cap. 3, exemptiones tollat. Sic decisum fuisse a sacra congr. Concil. testantur Aldan., in *Compend. canonic. resolut.*, lib. I, tit. 7, n. 2; Barbosa, in *Summa*, *loc. cit.*, n. 18, et supra concil. sess. VI *De reformat.*, cap. 4, n. 4 et n. 17, ubi cum aliis videtur tenere, quod possit episcopus etiam per delegatum visitare capitulum cathedralis, et adducit decre-

tum sacra congr. Concilii in *Toletana*, ubi resolutum fuit, serenissimum cardinalem Infantem archiepiscopum Toletanum non teneri per propriam personam capitulum Ecclesiæ cathedralis visitare, sed id agere posse per coadministratorem.

(90. Si episcopus visitare velit totum capitulum, debet accedere ad locum ordinarium capituli, in quo solent capitulares congregari, et eorum actus expediti consueverunt, si id tamen commode fieri potest. Sin minus ad locum congruum et communem. Sed non tenetur accedere ad locum capituli, quoties prosequi velit visitationem alicujus personæ de capitulo; et si capitulum occasione visitationis convocare ipse voluerit, non potest extra locum solitum congregare. Sac. cong. Concilii, apud Barbosam, in *Summa Apostolic. dec.*, collectan. 717, n. 9.

(91. Visitatio personarum capitularium, quæ juxta canonicas sanctiones, ut in *Decreto* cap. 4, sess. VI *De reformat.*, dicitur faciendâ, intelligitur juxta dispositionem juris communis citra punitionem et privationem. Sac. cong. Concilii, de qua Rota dec. 328, part. II, diversor. apud Barbosam, in *Summa*, verb. *Visitatio*, n. 9. (92. Unde in visitatione generali episcopus solus sine conjudicibus procedere potest contra canonicos, eisque pœnam imponere extraordinariam, quæ magis morum emendationem, quam correctionem respiciat. Sac. cong. in *Oriolen.* 27 Martii 1632, in resp. ad 4 dub., apud Barbosam, *loc. cit.*, n. 11.

(93. Episcopus in visitatione tenetur prædicare verbum Dei, per se aut saltem per alios; alias, nisi legitima causa excusetur, ipsum peccare mortaliter, ex Cajetano, Genuesi, Gavanto abbate, et Piasecio firmat Monacell., tom. I, tit. 5, formul. 1, num. 51, adducens ad id text. in cap. *Placuit* 10, q. 1, et cap. 1, § *Sane*, De censibus in 6, et concludens, « quod quomodo se excusent coram Deo tot episcopi, qui nihil prorsus curant de hoc in visitando, ipse Deus scit. »

(94. Visitator, si in visitatione adveniat altaria de jure patronatus laicorum, non provisiva de necessariis paramentis et suppellectilibus, aut vetustate consumpta, fere collabentia, monere debet patronos, ut illa restaurent et ornent, ac onera eis adjuncta adimpleant infra brevem et competentem terminum, alias potest illa concedere alteri patrono, qui velit ea ornare, reparare, ac onera eis adjuncta adimplere. Sac. congr. Episcopor. et Regular., in *Mutinen.* 16 Januar. 1604. Sic referunt Barbosa, in *Summa Apostolic. dec.*, verb. *Altaria*, n. 6, et lib. II *Juris eccles. univers.*, cap. 8, n. 18; Ventriglia, *Prax.*, tom. II, adnotat. 24, § 1, n. 44; Matthæus, *Official. curiæ*, cap. 55, § 1, n. 7, et alii.

(95. Si in visitatione adveniantur reliquiæ antiquæ, quæ ob injuriam temporum, seu ob incuriam custodum careant suis authenticis, debet visitator permittere, ut habeantur in ea veneratione, qua hactenus fuerunt: sic voluisse sacram congregat.

Conc. referunt Barbosa, in *Summa*, verb. *Reliquiæ sanctor.*, n. 3, et *De offic. et potest. episcop.*, part. III, alleg. 96, n. 11, et Ventriglia, *loc. cit.*, n. 38.

(96. Reliquiæ autem, quæ ex donatione proveniunt laicorum, quarum claves, vel unam ipsi retinent, et expensas pro earumdem ornatu subministrant, visitantur ab ordinario, quamvis retineantur, et custodiantur in ecclesiis Regularium. Sac. cong. Conc., in *Firmana* 5 Jun. 1700, apud Monacell., t. I, tit. 5, form. 2, n. 49.

(97. Visitator non potest recusari: orta enim dubitatione, « An episcopus visitans possit tanquam suspectus recusari? » sacra congreg. Concilii censuit non posse, nec cum generalem visitationem aggreditur, nec cum ad specialem descendit; si modo sine strepitu, et figura judicii procedens pœnas non imponat delictorum ordinarias, sed eas tantum, quæ morum correctionem respiciunt et modum corrigendi non excedat. Sic refert Fagnan., lib. I *Decretal.*, in cap. *Conquerente*, De officio ordinarii, num. 37. Et in terminis de visitatore regulari concil. *Trident.*, sess. XXV, *De regularibus*, cap. 20, sic expresse statuit: « Teneantur quicunque prædictorum ordinum monasteriis præsent prædictos visitatores recipere, et illorum ordinationes exsequi. »

(98. Quod visitator, si sibi impediatur aditus ad visitandum, non possit frangere portas ecclesiæ, sed uti gladio spirituali censurarum, tenet expresse Monac., t. III, tit. 1, form. 39, n. 2, post Grassium, *Decis. aur.*, part. II, lib. V, cap. 27, num. 59, ubi sic præcise habet: « Visitator non debet frangere portas ecclesiarum, si sibi denegetur aditus ad faciendam visitationem. » Ita Innocent., in d. cap. 1 *De immunitat. Eccles.*: « Quia bona ecclesiarum sunt sancta sanctorum, et Domino consecrata, etc., et sic qui violentiam facit, sacrilegium committit: » dist. 12, q. 2, can. *Nulli liceat*, et canon. *Quicumque*, « sed potest uti gladio spirituali, id est excommunicatione vel interdicto; » facit text. in cap. *Dilecto*, De sentent. excommunicat. in 6, et ita defendere suam possessionem, hoc est visitationem. Ita not. per Innoc. et Hostiens., in cap. *Venerabili* 24, De censibus; Barbosa tamen, supra concil., sess. XXIV, *De regularibus*, cap. 11, num. 16; et *De officio et potest. episcop.*, part. III, allegat. 74, n. 22, et lib. I *Juris eccles. univers.*, cap. 43, n. 139; Tamburin. *De jur. abbatissar.*, disp. 17, q. 3, n. 4; Fuscus, *De visitat.*, lib. II, cap. 16, post n. 1; Ciarlinus, *Controvers.* lib. cap. 65, n. 12. Ventriglia, *Praxi*, part. I, adnotat. 48, § *Unico*, n. 88, et alii volunt, quod reuentionibus regularibus, vel aliis exemptis visitationem, et claudentibus ostium ecclesiæ vel monasterii, liceat episcopo vim inferre, et ostium frangere. Vide verb. MONIALES, art. 3, n. 96, in responsione ad 3 dubium.

(99. Impedientes visitatorem a munere visitationis excommunicationem ipso jure incurrunt, si moniti non respiciant, textu expresso in Clementina *Attendentes* 2, De

statu monachorum. in fine, ibi: « Si qui vero visitatores ipsos in præmissis impedire præsumpserint, seu aliquo præmissorum, nisi moniti resipiscant, ipso facto excommunicationis sententiam se noverint incursum, privilegiis, statutis et consuetudinibus quibuslibet in contrarium minime valituris. »

(100. Quamvis hæc excommunicatio sit lætæ sententiæ non tamen incurritur statim ac fuerit visitationi illatum impedimentum, sed requiritur, quod visitator prius moneat impediens, ut desistant ab illato impedimento; quod si moniti non desistant, statim incurrit, ut clare habetur ex verbis dicte Clementinæ: « Nisi moniti resipiscant, etc. » Glossa in d. Clementina *Attendentes*, verb. *Impedire*; Navarr., in *Manual.* cap. 27, n. 140. Bonacina, *De censuris in particulari* disp. 3, q. 2, punct. 4, n. 4. Tambur., *De jure abbatissar.*, disp. 14, quæst. 8, num. 3; Pellizzarius, *De monialibus*, cap. 10, quæst. 11, n. 81; Monacell., t. III, tit. 4, adnot. ad excommunicat. 2, n. 3, qui dicit tom. III, tit. 1, formul. 39, n. 4, recte advertit, quod si impediens canonice moniti nolint ab allato impedimento desistere, potest episcopus visitator ipsos excommunicatos publice denunciare absque alia sententiâ, ut tradunt Glossa in cit. Clementin., verb. *Impedire*, et verb. *Ipsa facto*; Barbos., *ibid.*, num. 6, et alii.

(101. Commendatarii quamvis possint visitare monasteria sibi commendata in iis, quæ pertinent ad curam animarum et administrationem sacramentorum, ut censuit sacra congregatio. Episcop., in *Senogallien. seu Nullius* 6 Augusti 1601, et in *una Cisterciensium* 17 Septembris ejusdem anni, (102. non possunt tamen ea visitare quoad disciplinam regularem, ut respondit eadem sac. congr. Episcop. 2 Augusti 1647, apud Nicolium in *Flosculis*, verb. *Visitatio ordinaria*, sub. n. 4, et aperte habetur ex concilio *Trid.*, sess. xx, *De regularibus*, cap. 20, ac expresse statutum est ab Innoc. X, constit. 62, inc. *Pastoralis*, et ab Alexandro VII, constitut. 6 incip. *Exponi*, ubi declaratum est quod obtinentes monasteria in commendam, etiamsi fuerint S. R. E. cardinales, nullam in monasteriis sibi commendatis quod ad eorum monachos jurisdictionem exercere possint; ibi, § 2: « Tenore præsentium declaramus, decernimus ac statuimus non licere commendatariis priores, subpriores aut officiales claustrales instituere ac destituere, visitare monachos, eosdemque corrigere, nec facultates eisdem in litteris Apostolicis concessas et expressas, prout supra, ad ea, quæ institutum regulare concernunt, ac tenore prædictorum privilegiorum, et sacri concilii dispositione, monastico regimini relinquuntur, trahi posse ac debere. » Et similia etiam habentur in const. 32 ejusdem Alexandri VII incip. *Sacrosancti* edita favore monasteriorum Camaldulensium.

(103. Superiores regulares ordinarie non solent visitare ecclesias sui ordinis commendatas sæcularibus; nisi ibi habeant con-

ventum formatum. Sacra congreg. Episcop. et Regular., in *Vintimilien.* 1 Septemb. 1620.

(104. Provincialis in actu non potest esse visitator extra suam provinciam. Sacra congregat. Episcop. et Regular. 28 Julii 1645.

(105. Visitator provinciæ a generali deputatus non potest substituere sine licentiâ sacre congregationis. Ead. sacra congregatio Episcop. 1 Septembr. 1646, et 21 Octobris 1649, apud Nicol. in *Flosculis*, loc. cit., n. 6, ubi, n. 7, (106. subjungit, quod superiores cujusque monasterii visitationem biduo debeant explere. Ead. sac. Episcop., in *Januensi* 22 Novemb. 1604.

(107. Visitator in ordine Fratrum Minorum de Observantia, deputandus est a Patre generali totius Ordinis S. P. Francisci circa finem triennii provincialatus ministri provincialis cujusque respective provinciæ, ut eam diligenter possit visitare, et visitata diligenter provincia, capitulum possit celebrare, et hoc intra tempus trium, vel quatuor, et in latissimis provinciis, sex mensium. *Constit. Ordinis* c. 8, statut. 65; *Compend. Sanctor.*, verb. *Visitator*, n. 5.

(108. Dicto visitatori legitime deputato resistentes, illumque impediens, contradicendo, opponendo, recusando aut quovis modo rebellando, sunt ipso facto excommunicati excommunicatione Papæ reservata, officio privati, et voce activa et passiva in perpetuum destituti. Gregor. XIII, const. incip. *Quoniam nostro*, constit. ordinis cap. 8, statut. 67, conclus. 6, *Compend. Sanctor.*, loc. cit., n. 10.

(109. Dictus visitator non habet votum in electionibus, nisi specialiter a generali sit ipsi concessum; constit. ordin. cap. 8, statut. 67, conclus. 8, Sanctor., loc. cit. n. 11.

(110. Neque in electione capitulari habet in paritate votorum votum decisivum. *Vide* verb. *Electio*, artic. 4, n. 45. (111. Habet autem ipsum votum decisivum in electionibus, quæ fiunt a solo definitorio, si a generali sit deputatus præses. *Vide* d. verb. *Electio*, art. 4, n. 46.

(112. Præfatus visitator non potest usurpare sibi sigilla majora provinciæ, nec mittere clericos ad ordines suscipiendos, neque recipere novitios, neque destinare prædicatores ad Quadragesimas seu Adventus, neque deputare confessores monasteriis monialium, neque distribuere spolia defunctorum Fratrum, quæ omnia ad ministrum provinciam pertinent. *Statut. general. capitul. septuagesimi primi pro familia Cismontana* cap. 2, n. 10.

(113. Nec visitare potest monasteria monialium, nisi ex aliqua rationabili causa fuerit ei specialiter et expresse concessum in patentibus litteris delegationis. *Statut. general. capituli 75 pro Cismontana familia* circa finem. vers. *Commissarii visitatores*.

(114. Nec potest statuta provinciæ condere vel mutare sine capitulo, nec Fratres extra provinciam mittere, nisi ad generalem pro ejus negotiis. Nec in provinciam ministrum, aut qui alias simili officio functus

sunt, neque in Patres ordinis notabiliter animadvertere potest, nisi ex probata causa, et de consilio, et consensu majoris partis Patrum provinciæ, aut provincialis capituli, neque eos deponere aut privare, nisi generalis prius admoneatur, excepto casu gravis delicti, quod populo scandalum generet, et quod generalis distet per decem dies itineris, et tunc id solum poterit de consensu majoris partis Patrum provinciæ. *Constit. ordinis*, cap. 8, statut. 67, conclus. 7, *Compend. Statut. Sambuc.* cap. 8, § *De commissariis visitatoribus* circa finem; Sanctor., loc. cit., n. 9.

(115. Dictus visitator non potest eligi in ministrum provinciam provinciam, quam visitat, sive ipsemet præsideat, sive non: alias electio est nulla, et electores privationem vocis activæ, et passivæ incurrunt. *Statut. general. capituli 79; Statuta pro utraque familia*, n. 11.

(116. Visitatione incepta durat ejus auctoritas, et officium mortuo licet, vel amoto generali delegante. *Statut. general. capituli 72 pro tota familia* n. 11. Sanctor., loc. cit., n. 14, arg. cap. *Si cui* 36, De præbend. in 6, cap. *Si super gratia* 9, De officio delegati in 6.

(117. Celebrato provinciali capitulo, debet visitator de provincia sibi credita egredi intra terminum 10 dierum, alioquin ejus spirat auctoritas, nisi aliter sit per specialem et expressam facultatem concessum. *Constit. ordinis*, cap. 8, statut. 66, conclus. 7, *Compend. Statut. Sambuc.*, loc. cit., circa fin.; Sanctor., loc. cit., n. 9.

(118. Si contigerit mors visitatoris, capta officii possessione, provinciali competit regimen provinciæ usque ad novi visitatoris deputationem in iis tantum, quæ dilationem non patiuntur; unde visitare, processus formare de præteritis delictis, causas terminare, et similia facere non potest; *Statut. general. capituli 75, pro Ultramontana familia*, n. 33.

(119. Quæ autem dictus visitator in obeundo visitationis munere præstare et inquirere debeat? *Vide Compend. Statut. Sambuc.* cap. 8, § *ultim. per tot.*, ubi abunde de omnibus.

(120. Quoad ea quæ concernunt visitatores aliorum Regularium ordinum, quæque præstare, et inquirere debeant: attendendæ sunt propriæ cujusque religionis peculiæ constitutiones.

(121. Quæ vero advertenda sint ab episcopis, ac visitatoribus in generali visitatione, adducuntur hic prout traduntur a Monacel., tom. I in *Appendice* in fine, et tom. IV *supplement. ad I tom. post* n. 267.

ADVERTENDA IN VISITATIONE.

Cancellarius.

An scripturæ tam actorum civilium, quam criminalium integre, et distincte in locis, ac armariis aptis fideliter retineantur?

An retineatur liber bene compactus, in quo registrentur nomina, et cognomina illorum, qui professionem fidei ad formam constitutionis Pii IV, 89, emisissent,

et an in dicto actu adhibeantur testes cum expressione diei, et anni, prout adhibendi sunt?

An retineatur liber pariter bene compactus, in quo adnotentur, et registrentur supplices libelli, decreta et rescripta gratuita, provisiones, et permissiones episcopales, in quibus non conficiuntur processus?

An retineatur liber bene compactus, et cartulatus in quo adnotentur ea omnia, quæ pertinent ad moniales?

An retineatur liber, in quo adnotentur ordinationes, generales et particulares, aliæve episcopi pontificales functiones?

An acta ordinandorum distincte, ac ordinate serventur, et custodiantur?

An adsit inventarium omnium scripturarum, et processuum?

An supradicti libri retinendi habeant in frontispicio seu titulo subscriptionem, et approbationem episcopi, vel vicarii generalis, et cancellarii illius temporis, quo fuerunt compacti, et a principio inscripti; prout illam continere deberent, ut illis major fides præstari possit?

Capitulum et canonici.

An Officium divinum, Missæ, et Horæ canonicæ in ecclesia et choro, statutis horis recitentur, et cæteræ functiones expleantur?

An cum veste talari, et habitu canonicali, devote, modeste, et attente, et cum silentio?

An punctatores fideliter officium exerceant, et juramentum præstiterint?

An capitulum determinata die convoceatur, et a quo?

An resolutiones capitulares fiant per vota secreta, et in libro fideliter registrentur per capituli secretarium?

An officiales capituli singulis annis per vota secreta, eligantur, et in fine anni suæ administrationis rationem reddant, et de ratione reddita in libris capituli legitime appareat?

An adsit archivium scripturarum in quo inventarium bonorum omnium capituli custodiatur una cum cæteris scripturis ad usum pertinentibus?

An adsint statuta Ecclesiæ, seu constitutiones capituli, et an sint ab ordinariis vel a Sede Apostolica approbatæ?

An adsint distributiones quotidianæ?

An adsint præbendæ theologalis, et penitentialis?

An dignitates, et canonici sint ordine distincti?

An adsint mansionarii, et beneficiati, vel capellani servitio chori addicti?

An in choro adsint psalteria, antiphonaria, et cæteri libri necessarii?

An adsit tabella horaria?

An celebretur quotidie Missa conventualis pro benefactoribus?

An canonici inserviant per se ipsos, vel per substitutum?

An canonici sint promoti ad ordines sacros eorum præbendis annexos?

Parochus.

An retineat quinque libros parochiales bene compactos, videlicet status animarum, baptizatorum, matrimoniorum, confirmatorum, defunctorum?

An habeat archivium, in quo scripturas ad ecclesiam spectantes custodiat sub clavi?

An continuo resideat in parochia, vel potius frequenter ab ea discedat absque licentia?

An diebus Dominicis pueros, et puellas doceat doctrinam Christianam, et habeat sermonem ad populum, festa et jejunia denuntiet?

An diebus Dominicis, et festis de præcepto sacrificium pro populo applicet?

An testamenta parochianorum confecerit, et ubi, et quomodo illa retineat, et an ad cancellariam episcopalem, ut in publicam scripturam releventur, transmiserit?

An retineat coadjutorem?

An admittat externos, et vagos sacerdotes ad sacrum faciendum absque licentia curiæ episcopalis?

An publicet indulgentias absque approbatione episcopi, vel vicarii generalis?

An incidat arbores frugiferas, et infrugiferas in bonis Ecclesiæ, aut alia bona ejusdem distrahat absque beneplacito apostolico, vel episcopi?

An sacramenta ministret superpelliceo, stola, et veste talari indutus, et feriis diebus etiam non vocatus, confessionali de mane inideat?

An domi cohabitaret cum mulieribus, et quæ sint?

An habeat sacram Bibliam, aliosque libros pertinentes ad suum officium?

An sacramenta, et sacramentalia sub seris et clavibus custodiat?

An visitet infirmos etiam non vocatus, eisque debito tempore sacramenta Penitentia, Eucharistiæ, et extremæ Unctionis ministret?

An in sua ecclesia, de mane, in meridie, et de sero detur cum campana signum *Salutationis angelicæ*, et prima hora noctis detur signum precum *De profundis*?

Vicarius foraneus.

An in morte parochorum inventarium rerum ecclesiæ conficiat, et scripturas omnes et libros parochiales ab hæredibus defuncti recuperare invigilet, testibus adhibitis?

An dispositiones, et legata relicta locorum priorum vicario generali communicet, ut executioni mandentur?

An clericos, et sacerdotes scandalosos, vel indevote Missam celebrantes episcopo denuntiet?

An parochos, et alios curam exercentes desides, et eorum munia negligentibus ad episcopum deferat, ut corrigantur?

An peccata publica, et scandala, quæ emergunt, pariter episcopo denuntiet?

An exigat pœnas contra facientes opera servilia sine licentia diebus festis?

An concedat licentias alloquendi moniales sine scriptis, et tempore divinarum Officiorum?

An concedat licentias parochis et curatis se absentandi a residentia?

An interponat decreta in contractibus minorum et mulierum?

Clericus.

An habeat penes se Testamentum Vetus, et Novum Latinum vulgatæ editionis, Concilium Tridentinum, Catechismum, Rituale, et Summam aliquam theologiæ moralis, et librum aliquem spiritualem?

An semper incedat cum veste clericali, rasura, et tonsura decenti, Missam audiat quotidie, ecclesiæ cui est ascriptus, saltem diebus festis inseruiat, doctrinam Christianam doceat, et communionem frequentet, et solum? Concil. *Trident.*, sess. *xxiii*, cap. *11*, *13* et *14 de Reformat.*

An aleis, aliisque ludis incumbat, aut venationi, spectaculis, et choreis intersit, et in profanis comœdiis fiat actor, et an cum mulieribus cohabitaret, et quæ sint?

An implicet se negotiis sæcularibus, mercaturam exercendo, prædia, aut vectigalia laicorum conducendo, aut laicis pro factore, seu magistro domus inseruiendo?

An habeat superpelliceum, et biretum mundum?

Presbyter.

An, et quos libros retineat, et studeat?

An, et quibus ludis det operam, aut venationibus?

An quotidie sacrum faciat?

An celebret, recitato Matutino cum Laudibus, cum paramentis integris et mundis?

An ante celebrationem Missæ tabacum sumat, et quoties in hebdomada confiteatur peccata, et ante Missam præparationem faciat?

An in civitate, et locis populosis celebret cum veste talari?

An quotidie recitet divinum Officium statutis horis, et in quo loco?

An habeat superpelliceum, et biretum decens proprium?

An interveniat processionibus, et aliis functionibus ecclesiasticis publicis locis, in quibus permanet?

An semper incedat cum veste talari in civitate, et locis parvis decenti cum corona, et tonsura capillorum?

An intersit, aut ducat choreas, in comœdiis fiat actor, et in comessionibus, et conviviis tempus insumat?

An cohabitaret cum mulieribus, et quæ sint?

An implicet se negotiis sæcularibus, mercaturam exercendo, aut vectigata laicorum conducendo, aut negotia tanquam factor, et minister eorumdem laicorum agendo, vel procuram exercendo?

Si visitator in hac speciali clericorum visitatione adverteret illos veritatem non dicere, posset ab eis exigere juramentum

posteaquam eos audivit, ut dicit *Graff.*, *Decis. aur.*, part. *ii*, lib. *iii*, cap. *27*, n. *6* et *63*.

Regulares.

An adsint in numero sufficienti, et habeant qualitates præscriptas a Constitutionibus apostolicis?

An servent, et servari faciant ab eorum famulis dies festos, nec non censuras, et interdicta ab episcopali curia emanata?

An admittant in eorum ecclesiis presbyteros sæculares externos ad celebrandas Missas absque episcopi, aut ejus vicarii licentia? *S. congreg. Concilii, in Neapolitana 17 Augusti 1617.*

An publice exponant sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sine licentia ordinarii?

An habeant conservatorem legitime electum ad formam Const. Gregorii *XV*?

An eleemosynas quærant, licet non indigeant?

An incedant per loca sine socio, et vadant de nocte?

An se ingerant in administratione bonorum spectantium ad societates laicorum in eorumdem ecclesiis erectas?

An sacramenta infirmis ministrent, inscio, aut parochio invito?

An celebrent Missas horis inconsuetis, vel sermones habeant in ecclesiis sine licentia episcopi, vel miracula prædicent non authentica?

An accedant ad monasteria monialium absque licentia præter formam præscriptam a decretis apostolicis?

Moniales.

An muri clausuræ habeant prospectum activum, vel passivum in domos, vel e domo sæcularium?

An mansiones confessarii monialium, exemptarum sint penitus disjunctæ a monasterio?

An moniales scribant epistolas extra clausuram absque licentia abbatissæ?

An moniales ulantur fenestrella, ubi audiuntur confessiones, ad colloquendum cum exteris?

An adsit in monasterio capsula communis, in qua deponantur omnes pecuniæ provenientes a monialibus particularibus?

An admittantur exteri ad colloquendum cum monialibus absque licentia in scriptis episcopi, vel vicarii generalis?

An introducantur in clausuram catuli, pueri, vel puellæ cujuscunque ætatis?

An recipiantur electæ, et deputatæ auscultatrices, rotariæ, et ostiariæ?

An retineantur ab abbatissa libri bene compacti, et cartulati, in quorum primo describantur dietim data, et accepta, introitus, exitus, quo possit legaliter in fine officii rationem reddere episcopo suæ administrationis; in altero per modum inventarii descripta sint bona stabilia, census, et credita monasterii cum indicatione rogituum instrumentorum; in tertio registrentur re-

solutiones capituli monialium, acceptationes puellarum ad habitum, et professiones cum expressione diei, mensis, et anni: quos libros, si inveniatur visitator non retineri, omnino provideat?

An in monasterio adsit locus separatus pro educandis, et novitiis?

An omnes moniales sumant cibum in refectorio tempore mensæ, ex culina et ærario communi paratum?

An moniales parent cibos exteris, vel dona eisdem mittant, aut recipiant absque licentia et scientia abbatissæ et monasterii?

An admittantur Regulares ad celebrandum sacrificium in ecclesia absque licentia episcopi, seu vicarii generalis?

An omnes moniales saltem semel in mense confiteantur, et sumant Eucharistiam?

An omnes intersint choro ad recitandum hora debita divinum Officium, et orationibus, et aliis pietatis exercitiis communibus?

An omnes quotidie audiant sanctum sacrificium Missæ?

Quos libros retineant, et legant, et an tempore Missæ fiat lectio alicujus libri spiritualis, et servetur silentium?

Visitet dormitorium, seu cellas, et observet, an unaquæque monialis habeat lectum separatim?

An habitus monialium sit uniformis, et ad præscriptum Regulæ? *Sac. cong. Episcoporum. in Casenaten. 26 Septembris 1692.*

Eremita.

An in ecclesiis civitatis, suburbiorum, vel diocesis permaneat aliquis eremita absque approbatione episcopi?

An incedat in habitu a Constitutionibus apostolicis præscripto?

Hospitalia, et montes.

An adsint erectiones, statuta, et an legitima, an honesta, et licita?

An infirmis subministrentur corporalia, et spiritualia?

Revideantur computa, et administrationes?

Confraternitates laicorum.

An sint legitime erectæ auctoritate apostolica, vel ordinaria, et habeant statuta approbata?

An bona, et eleemosynæ fideliter administrantur, et officiales a plena confratrum congregatione singulo anno eligantur per vota secreta, computa revideantur, et solidentur?

An habeant inventarium omnium, et singulorum bonorum, capellanum, et depositarium ab episcopo approbatos?

An retineant libros distinctos, in quorum primo resolutiones societatis legitime congregatæ registrentur; in secundo nomina, et cognomina confratrum; in tertio revisiones computorum, et sententiæ absolutoriæ seu condemnatoriæ administratorum, et aliorum officialium societatis, necnon decreta visitationum?